DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. LV.

M. JOHANNE-BAPTISTA HATTÉ,
Doctore Medico, Præſide.

An pro diverſis Temperamentis diverſa morborum curatio?

I.

MORBORUM diviſio in chronicos & acutos ab eorum duratione ducta, non minùs etiam à variâ eorum indole emerſa videbitur. Etenim chronicorum genus quodque cuidam temperamento peculiare, hoc duntaxat ut plurimùm aggreditur. Sic hydropum genus, chloroſis, lymphatici tumores, aſthma humidum, rheumatiſmi à causâ frigidâ phlegmaticos invadunt; ſic phtyſeos ſpeciebus, varicibus, anevriſmatibus, menſibus immodicis, hæmorrhoidum fluxu, arthritide excruciantur ſanguinei; ſic maraſmo, hyſtericis paſſionibus & hypochondriacis, maniâ, vertigine, aſthmate ſicco, convulſionibus bilioſos & melancholicos corripi, Medicis compertum eſt. At verò nullo immuni temperamento, univerſos in mortales irruit acutorum depopulanda cohors; hinc febrium caterva, inflammationes, morbilli, variolæ, ſoporoſi ac phrenitici affectus, excernendorum & retinendorum vitia eò certiùs debacchantur, quò adverſùs eorum inſultus nulli hominum clypeati, ut tot & tantis periculis preſſæ ſuccurratur vitæ, morbos, illorum ſymptomata, periodos, tam ſedulò rimati, cauſas adeò curioſè ſcrutati ſunt obſervatores ſagaciſſimi, ut rerum œconomiæ animali vim inferre valentium jamdudum completa fuerit notitia. Nihil in triplici naturæ regno intactum, nihil cujus proprietates & virtutes intentatæ, nihil quod analyſi chimicâ, analogiſmo & experientiâ non ita fuerit exploratum, ut auxiliorum contra morbos copia haud mediocris obtineatur. Verùm operoſa adeò, adeò ſublimis ars medendi, ut, licèt accuratè traditæ fuerint morborum hiſtoriæ, licèt cauſarum explanata habeatur ſcientia, licèt quot morbi, tot remedia, non indè numeris omnibus abſoluta hæc evaſerit. Idioſincraſia, velut labyrinthus cujus ambages & valdè ſalebroſi receſſus perluſtrandi, grave medentibus faceſſit negotium. Etenim temperamenti cujuſlibet habitâ ratione perpendendæ cauſæ, illarum actio in quovis ægrotante menſuranda. Remediorum denique energia cum peculiari cujuſlibet conſtitutionis, cujuſvis ægroti fluidorum craſi ſolidorumque ſingulari texturâ conferenda, cautiſſimè penſitanda. Suppoſitâ namque diverſis in temperamentis peculiari quâdam diſpoſitione quæ morborum cauſis procatarcticis, vel faveat, vel contranitatur; quis crediderit hæc & illa remedia adverſùs morbos ab iiſdem cauſis ortos, iiſdem ſymptomatibus ſtipatos adhibita, in omni temperamento paribus donanda ſucceſſibus?

I I.

REMEDIORUM conſtans & unus eſt modus agendi, conſtans & unus effectus. Solius parùm cauti eſt quæcumque poſt medicamenti exhibitionem contingunt, medicamento tribuere. Eæ ſunt remediis inſitæ virtutes, ut ab iis vel fluidorum attenuentur moleculæ nexuſque ſolvatur, vel ut hæ craſſiores factæ nexus intimior evadat, vel ut ſolida tendantur, irritentur, vel ut hæc relaxentur. Has mutationes perpetuò moliuntur medicamina. Eò autem collimat medentium animus ut vel remediorum ope ſollicitent evacuationes, vel inteſtinum & progreſſivum liquidorum motum intendant aut compeſcant, vel denique fibrarum robur, tenſionem, craſſitiem augeſcant aut imminuant. At votis non ſemper reſpondet opera. Licèt enim unus & idem ſit in cunctis ægrotantibus medicamentorum agendi modus, adeo tamen diverſus diverſis in conſtitutionibus, propter diverſam fluidorum craſim, propter diverſam ſolidorum texturam, his & illis medicamentis adhibitis ſuccedit finis, ut ſæpè nimiùm gravior quam qui profligandus, inſurgat morbus. Quoties igitur in corpore humoribus ſegniter attritis, malè mixtis, intra vaſa debilia, laxa torpentibus naturâ inſtructo, nidulatur ſaburra, toties emeticorum & catharticorum validorum vires cum bonis ægri rebus exerentur. Irritatione enim ab his medicamentis illatâ, primæ viæ ſarcinâ gravante liberabuntur, liquidaque vaſis majori niſu agentibus pulſa magis atterentur. Si premat plethora corpus fibris gracilibus & humoribus tenuiſſimis valdè motis conflatum, iteratæ ſanguinis miſſiones, cum liquidorum molem imminuant ſolidaque laxent, nimiæ vaſorum dilatationi rupturæque occurrent. Si quando in corpore cujus ſpiſſa fluidorum craſis laxaque ſolidorum textura, perſpiratio aut quælibet excretio cohibita in organum aliquod irrumpit, cardiacis, diaphoreticis, diureticis calidiſſimis, emmenagogis, pro organi infarcti ſpecie, altâ doſi, repetitis ſollicitabitur fibrarum elater, ſolvetur humorum ſpiſſitudo, vaſa reſerabuntur, fluida ſuperflua noxiaque per varias vias amandabuntur. At turgeſcente ſaburrâ in homine cujus acria fluida ad rareſcentiam prona, ſolidaque rigida, tenſa & ſummè elaſtica, quid exurget ex emeticorum & catharticorum validorum irritatione? Humorum æſtus, ſolidorum criſpationes, convulſiones, pervigilium, febris aut illius exacerbatio, phrenitis, tetræ inflammationes. Si plethora urgeat corpus cujus fluida inertia & laxa ſolida, quis non videt ex iteratis ſanguinis miſſionibus ſolida magis ac magis debilitanda, tono orbanda, fluida debiliùs movenda, magis ac magis inſpiſſanda, ideoque ſucceſſuras obſtructiones & hydropes. Si quis perſpiratione aut aliâ excretione ſuppreſsâ laborans ita ſit conſtitutus, ut graciles vaſorum parietes & liquores tenues habeat, quis adeo rudis qui non prævideat cardiacorum, diaphoreticorum, diureticorum calidorum, altâ doſi, repetito uſu fibras lacerandas, liquores per διαπεδεσιν aut διαβρωσιν extravaſandos; hinc hæmorragiæ, gangræna, mors.

I I I.

CUM propter diverſam fluidorum craſim, diverſam ſolidorum texturam quælibet conſtitutio functionibus diversè peractis dotetur (*a*) & à rebus non naturalibus variè afficiatur (*b*); quis opinetur à cauſis procatarcticis quarum omnis actio in ſolida & fluida exeritur, diverſas conſtitutiones eodem modo divexari? Idem ſit judicium de omnibus contra naturam ingeſtis, geſtis, retentis & applicatis ac de cacochyliâ. Hæc autem vel inſpiſſans eſt, vel diſſolvens, vel acris. Porrò facilè eruitur ab inſpiſſante intra ſanguinis vias irreptâ cacochyliâ, maximas in phlegmaticis clades inferri. Quoniam etenim hâc in conſtitutione humores ſegniter attriti, parùm moti intra vaſa laxa ſtagnent, in propatulò eſt cacochyliam inſpiſſantem eò expeditiùs ſui juris futuram, quò ſpiſſiora fluida, quò debiliora vaſa minùs huic adverſantur. Hinc humorum ſtaſes, graviſſimi vaſorum infarctus, periculoſiſſimæ febres. Non tantum portendunt periculi febres quas à cacochyliâ diſ-

(*a*) Quæſtio Medica ann. 1754. *An pro Temperamentorum diverſitate Functionum diverſitas?*

(*a*) Quæſtio Medica an. 1755. *An diverſis Temperamentis diverſus rerum non naturalium uſus?*

ſolvente & acri patiuntur phlegmatici; ſolventes enim particulæ viſcoſis & inertibus fluidorum moleculis frænantur, nec ſatis tenſæ fibræ ut maximas irritationes queant ſuſcipere. Qui ſanguineorum morbi à ſuccis viſcoſis, malè elaboratis ſanguini ſuppeditatis oriuntur; ideò perniciosiſſimi non reputandi, quòd tenuibus & valido motu actis fluidorum moleculis paulatim atteretur materia morbifica. Aſt eadem humorum diſpoſitio, ſi ſuppeditati ſucci viribus ſolventibus ſint inſtructi, maxima mala permittet. Bilioſi & melancholici nec à cauſis inſpiſſantibus, cum vaſis tenſis ac robuſtis gaudeant, nec à ſuccis diſſolventibus, cum fluidorum in illis moleculæ duræ ſint ac compactæ, multùm lædentur. At ſuccis acribus eò magis illorum irritabuntur fibræ, quò rigidiores atque magis tenſæ. Hinc dolores immanes, humorum rarefactiones, vaſorum criſpationes & ex his morborum conſectariorum ilias

I V.

PECULIAREM conſtitutioni cuilibet inſitam diſpoſitionem, quibuſdam cauſis procatarcticis favere, aliis verò contraniti, evincit ratio, probat obſervatio. Cur etenim ex pluribus hominibus aerem algidum & imbres diù paſſis, alii nullam functionum læſionem experiantur, alii levibus catharris, rheumatiſmo afficiantur, pleuritide, peripneumoniâ corripiantur alii? Cur ex alimentis pravis, hi febre ephemerâ, illi ſynocho, alii putridâ exacerbante laborent? Cur iidem acuti morbi ab eadem causâ orti, ut contingit apud ruſticos, naturæ commiſſi, licèt ægrotantes ante morbum æquè proſperâ valetudine gauderent, licèt eâdem ætate, eâdem cæli temperie morbum patiantur, licèt inſtante morbo iiſdem alimentis & potulentis & aliis rebus fuerint ſuſtentati, diverſo eventu terminentur? Hic ſoſpes evadit, in chronicum morbum ruit ille, fata ſubit alter. Jam cum eaſdem cauſas procatarcticas vario intenſionis gradu in diverſis conſtitutionibus agere conſtet; exindè ſequitur his remedia variæ energiæ, variis cum cautelis eſſe adhibenda. Morbi igitur ab inſpiſſante cauſâ in phlegmaticis orti feliciter non debellabuntur, niſi initio emetica & cathartica valida, eademque in decurſu intercalatis cardiacis, ſudorificis potentioribus, necnon diureticis calidiſſimis exhibeantur. Iidem morbi in ſanguineis purgantium mitiorum & diaphoreticorum ope curandi. Bilioſos & melancholicos ab iſtis morbis brevi vindicabis, modò mitiſſima purgantia, levia attenuantia propines. Sanguinei à cauſâ ſolvente divexati maximum adeunt periculum, niſi venæ-ſectiones iteratæ, valentiora coagulantia, viſcoſa præſtò ſint in ſubſidium. His autem remediis curationem apud phlegmaticos inchoare nefas ut potè quæ lædere poſſent, cùm ſæpiſſimè leviſſima ſufficiant coagulantia. Diluentia acidis nupta bilioſorum & melancholicorum humores à diſſolutione ſervant immunes. Ut bilioſi & melancholici in morbis ab irritatione illatis, efficaci medelâ protegantur, ſanguinis miſſiones, narcotica, incraſſantia, balneationes, antiſpaſmodica incunctanter ſibi invicem ſuccedant. Qui ab his etiam morbis multùm periclitantur ſanguinei, iteratâ ſanguinis miſſione & incraſſantibus queunt ſanari. Phlegmatici non diù ab irritatione laborarent, ſi eadem remedia, copiâ & celeritate pari ac bilioſis & melancholicis, adhiberentur; aſt iſtis remediis eorum adeò laxarentur vaſa, fluida adeò inſpiſſarentur ut periculoſiſſimi ſuborirentur morbi chronici. Remedia igitur cauſas irritantes domantia maximâ cum cautelâ phlegmaticis concedenda.

V.

ASSIGNATIS morborum cauſis & determinatâ earum variis in conſtitutionibus actione; opinionis eorum qui morbificarum materierum coctionem & morborum judicium, ſemper in curationibus expectandum autumant, vitia facilè redarguuntur. Materierum etenim coctio, à victricis naturæ molimen expectantibus habetur virium vitalium actio quâ materia morbida ad evacuationem, aut ad ignobiliora loca remotionem diſponitur. Verum hæc materiæ morbidæ mutatio

in omnibus constitutionibus minimè speranda. Si quidem in constitutione phlegmaticâ materiam inspissantem nunquam coquendam, imò naturæ relictam magis ac magis vitiandam, obvium est. Materiam dissolventem in sanguineis vasorum actione & motu non retundendam, è contra horum actione illorumque reactione ulteriùs solvendam universam humorum molem haud ambigitur; in biliosis & melancholicis eò sæviora mala materiâ irritante inferri, quò diutiùs hæc intra vasa tensa, rigida & summè elastica quassabitur, evidens est. Nec minoribus periculis premitur medendi methodus eorum qui judicium morborum seu crises expectant, ut quò natura verget, tendant, ut hanc opitulatricem adjuvent, aut errantem corrigant. Crises enim vel per evacuationes vel per μεταπτωσιν perficiuntur. Evacuationes autem non fient in phlegmaticis morbo ab inspissatione detentis, ex eò quod vi expultrice defraudentur vasa laxa, succisque viscosis turgida. Neque feliciùs in biliosis & melancholicis materiæ acris procedet evacuatio; summoperè namque tensis vasis ob irritationem crispatis, prohibebitur liquidorum effusio. In sanguineis quidem morbum à dissolutione diù passis fient hæmorragiæ, cùm tunc temporis fluida adeò exsoluta sint ut per διαπεδησιν, vel ex vasis gracilibus intensiori motu laceratis effluant. At nùm illæ evacuationes salutiferæ? nullum in doctrinâ crisium certum datur signum quo dignoscatur utrum μεταπτωσις fiet cum bonis aut malis ægri rebus; aliundè constat ex assignatis variarum constitutionum dispositionibus nec in phlegmaticis à causâ inspissante, nec in sanguineis à causâ dissolvente, nec in biliosis & melancholicis à causâ acri laborantibus unquam perfici posse διαδοχην. Quamquam propter rationes allatas coctionis & crisium expectatio permultis ægrotantibus sit damnosa, hanc tamen non omninò rejicimus. Doctrinæ huic tot & tam præstantes viri paruerunt ut aliquid certi inhærere suspicari detur. Per coctionem itaque & crises, morbificam materiem quandoque, putà dissolventem aut acrem in phlegmaticis, inspissantem in biliosis melancholicis & sanguineis emendari posse & eliminari fatemur. Quoniam verò coctiones & crises ob diversas constitutiones diversè peraguntur, patet varias constitutiones à morborum causis diversè mulctari. Unde sententia nostra firmior coalescit.

Ergo pro diversis Temperamentis diversa morborum curatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Claudius Munier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius & Domûs Regiæ Invalidorum.

M. Ludovicus - Renatus Marteau.

M. Josephus Lallemant.

M. Petrus Poissonnier, Professor & Censor Regius, necnon Militarium Regis Hospitiorum in Alsatiâ Medicus & Inspector Primarius.

M. Antonius le Camus.

M. Claudius Bourdier de la Mouliere.

M. Franciscus-David Herissant, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius, necnon Chirurgiæ Gallico idiomate Professor.

M. Jacobus - Franciscus le Chat de la Sourdiere.

M. Carolus-Franciscus Boutigny des Preaux.

Proponebat Parisiis CLERIADUS VACHIER, Cluniacensis, Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1755, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1755.